

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

ARGVMENTVM MALACHIAE PROPHETAE.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)

MALACHIAE PROPHETAE.

DVae sunt praecipuae partes doctrinae de Deo, quam Christus, Prophetae, Apostoli, & omnes ecclesiae doctores ac ministri fideles, in suis concionibus & scriptis complexi sunt. videlicet **LEX** docens quod sit & qualis sit Deus, & quales nos homines esse, & quae facere, quae omittere oporteat, promittens bona obedientibus, & arguens ac damnans peccatum, & omnes homines peccato contaminatos. Deinde **EVANGELION**, seu promissio gratiae Dei, remissionis peccatorum, iustitiae & vitae aeternae, propter filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis passum & resuscitatum donandae: Quae promissio, supra & extra rationis humanae conspectum posita, solius ecclesiae Dei propria & peculiaris sapientia est, & accuratis ac conspicuis limitibus à lege discernenda. Ut autem filius Dei, doctor & redemptor noster Iesus Christus, mittens Apostolos, iubet praedicare legem & euangelion, seu poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo: ita **PROPHETARVM** quoque prorsus eadem vox est, & officium principale, ut **LEGE DEI** peccata sacerdotum, principum & populi arguant, & iram Dei ac poenas praesentes & aeternas denuncient, & rursus **PROMISSIONE DE CHRISTO** pios consolentur & erigant. Quare & Malachiae Prophetae conciones, ad duo haec summa doctrinae capita, ad Legem & Euangelion de Christo, referemus. Pertinent enim ad **LEGEM** grauissimae accusationes peccatorum populi & sacerdotum, qui pro summis Dei beneficijs, ac inprimis pro miranda conseruatione & reductione populi Israël ex Babylone in Iudaeam, & instituto sacerdotio publico & politia, Deum beneficij autorem ingrati & securi despiciebant: & principalia sacerdotum officia, quae sunt, veram & incorruptam Legis & euangelij doctrinam fideliter praedicare, & sacrificia, quae Deus sua Lege mandauit, integra & impolluta, praelucere vero timore Dei & fide, offerre: & exemplo castitatis & caeterarum virtutum populo praelucere: securè negligebant. Aliqui etiam Epicuraea audacia, florentem impiorum fortunam, & arumnas piorum intuentes, palàm de prouidentia se dubitare ostendebant. Comminatur itaque ingratis & impijs hisce sacerdotibus & populo maledictionem, & finem ac deletionem sacerdotij & politiae & omnium sacrificiorum Leviticorum. Haec summa est concionum legalium Malachiae. Ad **EVANGELION** verò & nouum Testamentum pertinent conciones splendidissimae de **CHRISTO SOLE IUSTITIAE**, & de instante tempore aduentus eius, & de sacrificijs verae agnitionis & celebrationis gratiae Dei in Christo promissae, verae fidei, inuocationis, gratiarum actionis, praedicationis euangelij, confessionis, patientiae in cruce, & aliarum hostiarum spiritualium, quae non tantum in angusto Iudaeae angulo, sed omnibus locis totius orbis terrarum, Deo per Christum gratiae acceptae, offerentur. Item, vaticinia de praecursore Christi Helia seu Iohanne Baptista: quae Christus ipse Matth. II. & Angelus Gabriel Luc. I. allegant & interpretantur. Constans autem Ebraeorum & Ieronymi etiam opinio est, hunc Malachiam fuisse **ESDRAM** scribam, seu doctorem populi.

populi Iudaici ex Babylone reuersi præcipuum, qui anno septimo Artaxerxis regis Persarum, anno ante natum Christum 457. instructus edicto Regis, & priuilegio, quod immunitatem, & *αὐτονομίαν* in iurisdictione & cultibus diuinis, populo Iudaico concedebat, Ierosolyma profectus est: & muros vrbs, leges Reipub. & publicum ministerium ecclesiæ intaurauit, 1. Esdr. 7. 2. Esdr. 8. & 9. cap. Ac multæ Malachia conciones cum historia Esdræ omnino congruunt. Vt enim Malachias, boni sacerdotis officium cap. 2. his verbis describit: Lex veritatis in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Domini exercituum requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est: Ita Esdras, viuum exemplum est boni sacerdotis & doctoris, qui toto corde & inuestigat legem Domini, & facit, & docet eam in populo Israël. Deinde, vt Malachias, sacerdotum impiam securitatem, auariciam, libidines, quibus ministerium polluebant, & populi negligentiam & perfidiã in offerendis sacrificijs, decimis, & alijs rebus ministerio debitis, grauissimè accusat: Ita 2. Esd. 13. nominatim de sacerdotibus dicitur: Recordare Domine Deus meus, aduersum eos, qui polluunt sacerdotium, iusque sacerdotale & Leuiticum, & ducunt alienigenas, quas Malachias cap. 2. filias Dei alieni nominat. Hæc congruentia concionum Malachia & historia Esdræ, occasionem fortè veteribus præbuit, vt eundem esse Malachiam & Esdræ iudicarent. Significat autem nomen Malachias Angelum, seu nuncium seu legatum, sicut omnes Propheta, Apostoli & ministri fideles sunt angeli seu legati à Deo missi, vt voluntatis diuinæ nunciij & interpretes in genere humano existant: vt hic Propheta inquit, Sacerdotem sonantem doctrinam à Deo traditam, esse Angelum Domini Zebaoth. & Paulus 2. Corin. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo adhortante per nos, reconciliemini Deo. Ita ipse Filius Dei à nostro propheta Angelus Testamenti vocatur, quia promissionem gratiæ seu reconciliationis cum Deo, ignotam omnibus creaturis, primus ex arcano consilio diuinitatis prolatam, generi humano annunciauit.

Caput primum.

LOCI DOCTRINAE PRAECIPI- PVI, IN PRIMO CAPITE OBSERVANDI.

I. CONCIO LEGIS, accusans impiam ingratitude[m] populi Israël, & omnium nostrum, erga Deam, paterno amore nos complectentem, & plurimis ac summis beneficijs quotidie cumulantem.

II. Doctrina de SACRIFICIIS & discrimine sacrificiorum veteris & noui Testamenti.

III. De sine sacerdotij & politia Iudaica.

IIII. De Vocatione gentium.

V. De predestinatione seu aeterna electione Ecclesie Deo dilectae, ad quam

Qq 2 hac